

ses redigunt in venam scilicet portæ, & venam cavam: hanc & nos tum propter brevitatem, tum propter faciliorem cognitionem amplexari non veremur, præsertim cum reliquæ ex his duabus tanquam trunco proveniant. Sunt igitur a due tantum insignes venæ, portæ nimirum & cava: illa ex concavo hepatis, maximum habens usum in attrahendo & nutrimento ad epas; hæc ex gibbo membræ nutrimentum suppeditans oritur; utraq; tamen innumeros surculos in epas immittit, unde cum arbore habente truncum radices & ramos non difficulter potest conferri.

THEOREMA IV.

Vena portæ est illa, quæ ex cavo hepatis emergit, chylum recipiens ab intestinis & hepate inferens, nec non chyli partem educens pro nutriendis inferioribus partibus.

Posita in præcedente theoremate bipartita venarum divisione, ambas ut paucis examinemus ordinis ratio flagitare certum est: hanc autem venam portæ nimirum veterum quispiam nature operum peritus ante Hippocratem τὴν πρὸς τὰς πύλας nuncupavit, hunc reliqua medicorum secuta corona in hunc usq; diem venam e hanc portæ vocitavit, quod iecoris esset quasi portæ & ianitrix: quemadmodum enim portæ & immittunt & emittunt, sic vena hæc dicitur portæ, quia chylum immittit, sanguinem emittit. Alia quoq; in anatomicorum libris huius venæ nomina se objiciunt, ut sunt iecoris manus, σελεχιαία, μεγάλη, vena lactea, & alia de quibus hic multa tractare otiosum esse arbitramur. Progredimur itaq; ad primarios huius venæ ramos, quorum septem vulgo recensentur.

1. Est iste, qui ad sinistram ventriculi partem perveniens illius longitudinem perreptat & orificium amplexatur coronæ instar, unde & coronalis dicitur. 2. Partem etiam ventriculi petit inferiorem multosq; spargit ramulos. Hos duos cum ventriculus sine sanguine nutriri non possit, ad eiusdem sustentationem provida ordinavit natura. 3. Sub ventriculo lienem ingreditur, & sanguinem melancholicum ex hepate in lienem transfert, & ne rumpatur natura, multas, fulcri instar, substernit glandulas. 4. Inseritur in omentum, ut illud nutriatur, huius adminiculo in quibusdam tanta comparatur pinguedo, quanta ventrem extendit. 5. Tendit ad intestinum κῶλον; 6. Fere omnium maximus descendit ad intestina gracilia, ex quo exurgunt

venæ

a Laur. li. 4. c. 3.

b Auic. Fen. 1. lib. 1. Doctri. 5. c. 1. de venis.

c Gal. li. 4. de v. p. c. 13. h. & Haly. 2. theo. c. 12.

d Vesal. de hum. fabr. lib. 3. c. 5.

e Gal. libr. 6. de placitis. & Fernel. de par. corp. lib. 1. ca. 14.

Fernel. & Columb. loco citato.]